

# JAHRESBERICHT

des

K. K. ZWEITEN OBERGYMNASIUMS

in Lemberg

FÜR DAS SCHULJAHR

1901.



13937



LEMBERG.

Buchdruckerei und Litographie Piller & Comp.

1901.



nr. 132.

Spr. 132.

## Inhalt:

—\*—

1. Abhandlung des Prof. Dr. Jos. Ogórek: Quae ratio sit Ciceronis Paradoxis Stoicorum cum Horatii stoicismo Satiris Epistulisque eius contento.
2. Schulnachrichten von der Direction.

—\*—



Quae ratio sit Ciceronis Paradoxis Stoicorum cum Horatii stoicismo  
Satiris Epistulisque eius contento.

Scriptit

Prof. Dr. Jos. Ogórek.

I.

Quicumque in vitam Ciceronis accuratius inquisiverit atque animi eius contentiones ingenique labores persecutus erit, nequam infitias ibit, fuisse eum patriae amantissimum, civibus suis addictum vel maxime rei publicae devotissime deditum. Namque ille nullam occupationem honestiorem aut utiliorem delectationumve pleniorum, hominis denique opera consilioque digniorem esse iudicabat, quam si omne studium curamque universam rebus publicis voveret atque omnem operam in communem suorum civium utilitatem conferret. Hinc dum per vires atque tempora licuit, suae civitati eum unice inservire, ea sola occupari nec quidquam antiquius ducere videmus, quam ut illam servaret, tueretur vel potius in pristinum severae ac iustae disciplinae statum restitueret.

A prima igitur adolescentia per longam deinceps annorum seriem nunquam ille neque imbecilla valetudine neque adversis temporum condicionibus atque adeo gravibus, quas adversariorum in se excitaverat offensiones deterritus est, quominus de republica optime mereretur.

Quare eundem et stipendia facere et muneribus rei publicae aliis post alia fungi et ad provinciam administrandam Roma proficisci ibique et afflictos sublevare et hostes profligare videmus. Unde postquam decessit et Romam reversus patriam, quam laboribus consiliis periculis suis ex flamma atque ferro ac paene ex faucibus fati eripuit et civibus suis conservavit ac restituit, conflictatam et in partes dilaceratam vidit, summe eo rerum statu sollicitatus animos irasque potentium arma in se capessentium mitigare ac delenire nititur.

Praeter haec summa industria sollertiaque usus est in officiis praestandis familiaribus, amicis, necessariis, civibus omnino suis, son-  
tibus insontibus, quotquot quotiensque rerum gravitate afflictis auxilium ab eo petebant. Hinc pergraves sunt eius in his aerumnae, permultae lucubrationes, vigiliae et quas prope quotidiana dicendi

exercitatio exigebat meditationes, commentationes, declamationes, unde tot talesque exortae sunt varii eximiique argumenti orationes, unde etiam manarunt scripta eius rhetorica.

Inter has occupationes tamen, etsi longe plurimas ac diversissimas, Cicero studiis litterarum, ingenuarum artium culturae atque imprimis philosophiae, quam in coelum extollit laudibus,<sup>1)</sup> non tantum nunquam defuit, sed continuo inter occupationes civiles ipsas curam eius operamque navabat ita, ut cum iis pernoctare, peregrinari, rusticari videretur.

At quod iam philosophiam ipsam attinet, dicit ille quidem<sup>2)</sup> studia haec, quamvis remissa temporibus longoque intervallo intermissa essent, semper tamen animo retenta ac denique prorsus revocata esse. Itaque cum rei publicae forma mutata omnia dominatu unius tenerentur atque Cicero defensionum laboribus senatoriisque muneribus aut omnino aut magna ex parte esset liberatus, iam vero cum et fortunae gravissimo percussus vulnere et extincto senatu deletisque iudiciis ab administranda republica foroque obeundo removeretur, quoniam nihil esset, quod dignum se aut in curia aut in foro agere posset, revocavit illud studium, quo omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio ac disciplina contineretur, studium sapientiae dico, atque hoc ipsum latinis litteris illustrandum sibi esse vel optimum duxit<sup>3)</sup>.

Neque vero ulla pars litterarum inveniri potuit, qua Cicero abditus atque ex conspectu hominum in solitudinem, quam non voluntas ei sed rerum necessitas attulerat, redactus vel magis delectaretur vel in qua maiore cum emolumento fructuque elaboraret. Namque primum doloris ille medicinam a philosophia petebat et otii oblectationem hanc honestissimam iudicabat, deinde suae aetati hoc maxime aptum iisque rebus, si quas dignas laude gessisset, imprimis consentaneum, denique etiam ad suos cives erudiendos nihil utilius esse censebat. Quod si forte hoc loco illud animum advertimus curiosique rogamus, num eventus responderit expectationi numque Cicero adaequatam invenerit, quod ad se ipsum attinet, compensationem damni, quod a republica remotus aliisque fortunae ictibus percussus se fecisse doleat, parum ad nos. Id solum monuisse iuvat, medicinam illam in philosophiae opertis repositam animo eius mentique non adeo suffecisse, quum multoties eum de misera sua condicione querentem atque lamentantem legimus, quin imo taedio vitae se captum esse ipsum profitentem reperimus<sup>4)</sup>. At quod ad communem utilitatem spectat

<sup>1)</sup> de fin. III, 22, 75.

<sup>2)</sup> Tuscul. I, 1, 1. off. II, 1, 4.

<sup>3)</sup> Tuscul. I, 1. off. II, 1, 2.

<sup>4)</sup> Ad Att. IX, 12. non medius fidius prae lacrimis possum reliqua nec cogitare nec scribere. Divinat. II, 1, 3. Nam quid ego de consolatione dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur, ceteris item multum eam profuturam puto.

Quare s. August. De civit. d. XIX, 4. t. V, p. 1147. Nobbe. multum eum fuisse refert in lamentandis vitae miseriis. Vid. Jacob. Bruckeri, Histor. crist. philos, 1742. II, pag. 39, et not. c.

commodumque, quod civibus suis tradendis philosophiae praeceptis Cicero attulerit, hoc maximi est momenti non solum quod ad Romanos ipsos sed etiam quod ad omnem deinceps attinet posteritatem.

In universo fere philosophiae studio haec duo potissimum apud Romanos observanda obvenerunt atque eminent: primum quod illi partem philosophiae sequuntur ethicam seu moralem, deinde quod in nullius verba iurant magistri, sed ex omnibus philosophorum disciplinis, quaecumque eos maxime specie veritatis movent, hauriunt libantque.

Haec eadem etiam apud Ciceronem in omnibus eius scriptis philosophicis prominent vel maxime. Quae quidem consilio ipsius, ut propositis eius sapientiae sanae atque verae praeceptis, quae adhuc ignorabatur vel singulis tantum cognita in cives omnino non emanaverat, quam plurimis prodesset, non tantum non adversabantur, imo vero apprime respondebant.

Ut quaestionem de primis Romae philosophandi vestigiis mittamus, id solum vel obiter commemoratum velimus, ibidem ab anno 155. ant. Ch. n. tantum philosophiae amorem tantumque studium eius disciplinae excitatum esse, ut relegatis etiam Catone auctore tribus illis trium graecarum haeresium principibus, Diogene Stoico, Critolao Peripatetico, Carneade Academico, simul atque semina sapientiae graecae Romae dispersa sunt, desiderium illud in iuvenum romanorum animis non solum non extingueretur, sed etiam in dies augeretur atque exacerberetur. Quo factum est, ut cuique ab ingenuarum artium studio haud ita abhorrenti Romano philosophicae quoque disciplinae cognitio prorsus exoptata atque adeo necessaria videretur<sup>1)</sup>.

Itaque cum omnibus externis hostibus devictis Graeciam aliquando ipsam, omnium doctrinarum bonarumque artium procreatricem et quasi parentem, Romani sibi subiecissent et in provinciam formam redegerint, artium cum Graecis coniuncti litterarum suavitatem artiumque dulcedinem percipere ab iis didicerunt. Hinc post Corinthum deletam omnium fere scholarum philosophi Romam commigraverunt, ubi summa nobilissimorum amplissimorumque virorum perfruentes dignitate graecae sapientiae artiumque ingenuarum cognitionem disseminabant et studium earum curamque inter multos eosque illustres Romanos cives propagabant.

Sic innotuerunt Romae penitusque radices immiserunt omnium fere philosophicarum disciplinarum praecepta, imprimis earum, quae sub Graeciae etiam tum florebant coelo, quo pertinent: Stoica disciplina a Panaetio, homine gravissimo Romam translata, dein a Posidonio eius discipulo, *πολυμαθεσιότης* illo atque *ἐπιστημονιζότης* cum egregio rerum eventu inter nobiles Romanos pervulgata. Epicurea secta, quae cum cognitu satis esset facilis atque blandis voluptatis illecebris invitaret alliceretque, permultis nobili loco natis maximeque iis placuit,

<sup>1)</sup> Copiosius fusiusque haec res tractata est nobis in opusculo, cui est titulus: »Conspectus philosophiae Stoicae atque Enchiridion Epicteti«. Qui liber Slovenica lingua conscriptus etsi iam diutius confectus preloque maturus, tamen, cum pro re nostra eiusmodi impensam fecere non valeamus, publici iuris adhuc fieri non potuit.

qui a republica remoti magis sibi vivebant et potius corporis animique voluptatibus frui, quam negotiosi et rebus intenti aetatem agere malebant. Peripatetica philosophia, Apelliconis Tei bibliotheca Romam Syllae iussu Athenis perlata, haud parum cognita erat, et quamquam non ita magno studio a Romanis captabatur, tamen non deerant qui eam quoque sequerentur. Verumtatem studiosissime Academiam mediam, quae dicitur, amplexi sunt Romani, et quidem primo propter ea, quod huius scholae in utramque partem disputandi ratio magno opere studium adiuuabat eloquentiae, viris ad summas in republica dignitates adipiscendas annitentibus vel maxime necessariae, tum vero quod mos patrius Academiae adversari semper omnibus in disputando acrioris ingenii homines ad hanc potissimum philosophandi rationem, quae in omnia accurate inquireret, certi tamen nihil statueret nec in sententia pertinaciter permaneret sed probabilia sequens in his acquiesceret, traxisse videtur.

Hanc eandem philosophandi rationem viamque Cicero quoque amplexus est atque adamavit unice, quippe cuius amorem et Philo Larissaeus, qui bello Mithridatico, quum Graeciae civitates atque Athenae ipsae misere diriperentur, Romam profugus ei iuveni adhuc instillaret<sup>1)</sup> et ipsius studiorum rhetoricorum cursus eandem suaderet<sup>2)</sup>. Cum igitur quaereret multumque cogitaret, quam re posset civibus suis optime consulere, ne quando intermitteret civitatis salutem adiuuare, nulla maior ei occurrit, quam si optimarum artium vias traderet atque philosophiam e Graecia traductam latinarum litterarum luce illustraret et divinae illius doctrinae amorem in Romanorum animis accenderet et aleret<sup>3)</sup> eosdemque opera, studio et labore suo doctiores redderet<sup>4)</sup>. Ille igitur ubi ad disciplinam Academiae mediae praecipue se rettulit, utpote quae senilis ei declamatio esse posset, ad summum auctoritatis splendorisque fastigium eam evexit ita, ut eius cultura atque cognitiō inter cives suos propagata tanto opere meruerit, ut suo iure stator atque parens philosophiae apud Romanos appellari possit.

Itaque cum Ciceroni, patriae suae amantissimo atque excelsarum priscorum Romanorum rerum cognitione percusso consilium esset, ut maiorum virtutes, quae tum paene extinctae atque deletae videbantur, in Romanorum animis resuscitaret atque redintegraret, hoc ita se assecuturum putabat, si optima quaeque praecepta philosophiae atque eximia proponeret eademque luculentissimis exemplis ex historia romana petitis illustraret ac confirmaret. Etenim, »cultura animi«, inquit ille, »philosophia est; haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos eaque mandat iis et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant«<sup>5)</sup>. Quapropter Cicero etiamsi nul-

1) de orat. III, 28. Tuscul. II, 2.

2) Tuscul. V, 29. Brut. 89, 306. ad fam. XIII, 1. Nat. deor. 1, 3. Acad. I, 4. de divin. II, 73. Off. I, 2 de fato, 2, 3. Nam cum hoc genere philosophiae, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem; subtilitatem enim ab Academia mutuatur et ei vicissim reddit ubertatem orationis et ornamenta dicendi.

3) Tuscul. I, 3.

4) de Finib. I, 3.

5) Tuscul. II, 5, 13.

lum fere philosophiae locum, qui non latinis litteris illustratus pateret, reliquit<sup>1)</sup>, nihilominus tamen ille non perfectam quandam artis disciplinam condidit neque hoc in conscribendis dialogis philosophicis secutus est consilium, sed praeclarissima quaeque praecepta sapientiae et ad mores conformandos vitamque melius instituendam saluberrima, romani sermonis splendore explanata ex umbra quasi in solem atque pulverem producenda sibi sumpsit proposuitque. Hinc Graecorum vestigiis insistens in ipsis philosophiae mysteriis nihil novi invenit, sed retractavit ea, quae erant in promptu iamque reclusa quaeque civibus suis utilissima fore arbitratur. In quo comodo utilitateque cum Cicero omnem cogitationem mentemque figeret et locaret, sequi eum necesse erat maximam partem eam philosophiam, quae mera vitae sapientia est: itaque mores ille in philosophia et vitae bene agenda rationem maxime curat.

At praecepta ad mores temperandos moderandosque et recte vivendi rationem spectantia non tantum in Academiae disciplina, quam Cicero imprimis omnium profitetur, sed etiam in aliis philosophicis scholis erant eximia. Quin imo haec philosophiae pars vel gravissime accuratissimeque apud Stoicos tractabatur colebaturque ita, ut physica atque logica seu dialectica<sup>2)</sup> longe essent prae illa inferiora. Proinde ex Stoicorum philosophica disciplina permulta decreta sua fecit Cicero et quidem maxime ea, quae ab illis mandata erant praeclare scriptis de morali doctrina, de legis natura, de conformanda republica, brevi, quae ad disciplinam pertinebant ethicam. Hanc igitur Stoicorum philosophiam moralem, quae inter omnes omnium haeresium doctrinas iure praestantissima censi debet, et quae in illa expressae erant sententias excelsissimas nobilissimasque Cicero inter cives suos divulgare ac propagare studet. Nam tametsi haud raro Stoicorum philosophiam vehementer aggreditur eamque perstringit, tamen universe de eadem magnifice sentit et non tam illorum dogmata, quam quibus ea confirmare satagebant argumenta, longissime nunquam accessita, reprehendit. Ex hac Ciceronis philosophandi ratione, quod nullius philosophicae sectae auctoritate adstrictus principum philosophorum sententias in utramque partem veri reperiendi causa disserendo examinat excutitque et ponderatis rei momentis rationibusque comparatis veritatem vel summam probabilitatem amplectendam esse censet, sequitur, eum omnium fere graecorum philosophorum decretis pervestigatis ac perscrutatis optima quaeque maximeque probabilia in suum usum convertit atque eadem saepe acriter constanterque defendit. Huc Stoicorum praecipue referenda sunt dogmata moralia, quae Cicero ceteris philosophiae eorum doctrinis atque adeo cuique reliquarum scholarum morali philosophiae longe anteposit quibusque praeconium tantum tribuit, ut, quod ad hanc philosophiae partem attinet, ille prorsus Stoicus esse videatur. Luculentissime hoc apparet ex iis libris, quibus moralem philosophiam

<sup>1)</sup> de divinat, II. 2, 4.

<sup>2)</sup> Quam Cicero rationem disserendi vocat, de fat. I. I. de finib. III, 12, 41.

complexus est quosque ipse recensitos plerosque<sup>1)</sup> iterum iterumque legendos commendat Marco filio suo<sup>2)</sup> dicens: »Quam ob rem magno opere te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui iam illis fere se aequarunt, studiose legas«.

Praecipua autem scripta philosophica Ciceronis haec sunt: de republica libri sex, quos tum scripsit, cum gubernacula rei publicae tenebat, quod opus publici iuris fecit anno ab u. c. 703. antequam in Ciliciam digressus est. Hortensius, quo libro Cicero, ut maxime potuit, ad philosophiae studium cohortatus est. Hoc opus intercidissee magno opere est dolendum, quippe quod aditum ad cetera omnia scripta philosophica aperiret. Quattuor Academicis libris ostendit, quod genus philosophiae minime adrogans maximeque et constans et elegans arbitraretur. Ex hoc opere, quod Cicero primum duobus libris confecerat, postea denuo retractatum in quattuor libros extenderat atque anno u. c. 709 ediderat, ad nostram servati sunt aetatem libri tantum duo, qui sunt, secundus prioris et liber primus posterioris editionis. Quaestionem de finibus bonorum et malorum, quod fundamentum esset philosophiae, quinque libris eodem anno pertractavit, ut quid a quoque et quid contra quemque philosophum diceretur, intellegi posset. Totidem subsequuti libri Tusculanarum disputationum res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt. Primus enim est de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, de aegritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat: docet enim ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam. Quibus editis tres libri perfecti sunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quaestio continetur. Quae ut plane esset cumulateque perfecta, de divinatione ingressus est scribere eamque materiam duobus libris confecit: quibus postquam librum de fato adiunxit, toti huic quaestioni abunde satisfactum esse censuit. Interiit liber de luctu minuendo seu de consolatione, quem Cicero eo consilio confecit, ut quem e filiae obitu anno 709 ab u. c. percipiebat dolorem levaret solatiumque a philosophia peteret. Interiectus est deinde liber, quem ad suum Atticum de senectute misit. Cum autem nulla vitae pars neque publicis neque privatis neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si nobiscum agamus quid, neque si cum altero contrahamus, vacare officio possit, in eoque et colendo sita vitae sit honestas omnis et neglegendo turpitude, ideo quae de officiis tradenda et praecipienda existimavit, tribus confecit libris ad Marcum filium missis. Proponuntur his libris a Cicerone et exponuntur iuris naturalis et civilis praecepta, in quibus ille uti omnino in iis, quae ad philosophiam referuntur moralem, Stoicos potissimum sequitur, non ut interpres, sed, ut ipse ait, e fontibus eorum iudicio arbitrioque suo quantum quoque modo videretur hauriens.

Pendere eum itaque ex ore Stoicorum totum doctrinamque eorum, quae ad mores pertinet, summo studio amplecti, iam manifestum

<sup>1)</sup> Divinat. II, 1, sq.

<sup>2)</sup> de off. I, 1, 3.



est. At luculentissimum testimonium, quantae admirationi moralia Stoicorum principia Ciceroni fuerint, ea res vel imprimis impertit, quod etiam dogmata eorum, quae hominum captum excedere et ad incredibilem admirationem elata esse viderentur, defendenda et vera ea esse demonstrandum sibi probandumque sumeret.

Prooemium libelli, qui Paradoxa Stoicorum inscribitur, nobis accuratius intuentibus pro certo ponendum esse videtur, eum ante obitum Catonis Uticensis confectum esse. Mortem sibi autem Cato conscivit anno 46 ante Ch. et quidem paulo post quam Pompeiani a Caesare devicti sunt; quam victoriam de adversis sibi partibus Caesar mense Aprili eius anni reportavit. Ergo ante quam nuntius de Catonis decessu Romam adferretur, libellum hunc a Cicerone conscriptum esse oportet.

Quia Cicero libellum hunc in opere, quod inscribitur >de divinatione<, ubi scripta sua philosophica recenset<sup>1)</sup>, non exhibet, et alio loco hanc Stoicorum *παραδοξολογίαν* irridet atque oppugnat, exstiterunt, qui dicerent, opusculum hoc non tam inter philosophica quam potius inter rhetorica scripta ponendum esse, quippe quod Ciceroni magis eloquentiae ostentandae quam erudiendi lectoris causa aut cuiquam persuadendi confectum esset. Nobis tamen, antequam nostrum de hac quaestione iudicium proferamus, imprimis considerandum est, quid liber hic contineat, quoque ordine scriptor rem tractaverit.

Principio ostendit Cicero omnes homines bona expetere eaque avere, sed quae ab iis expeterentur ac desiderarentur, non esse vera bona. Etenim magnae pecuniae, magnifica tecta, opes et imperia, voluptates denique in rebus bonis aut expetendis non sunt ponenda, cum omnes hisce rebus abundantes semper maiora et plura hient neque sitis eorum unquam exsatiatur. Cupiditas enim plura habendi deserit eos nunquam, sed continuo eadem execrificantur<sup>2)</sup>. Praeterea alii quoque morsus quiete eos privant, sempiternus videlicet metus ea, quae possident, amittendi. Proinde si haec omnia non tantum neminem beare possunt, sed etiam causa damni infortuniique evadunt, sequitur, in bonis eadem nequaquam esse ponenda. Ceterum res veraciter bonae quem circumfundunt, eum bonum efficere debent, cum tamen plerosque his praesumptis bonis circumfusos malos atque improbos esse videamus, e contrario multos probos bonosque noverimus, quibus haec eadem desint, apparet, illas res boni in se habere nihil. Bonum igitur id solum habendum esse, quod sit rectum et honestum et cum virtute arctissime coniunctum; sic bene beateque vivere nihil aliud est nisi honeste et recte vivere. Stat ergo Paradoxon: *ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν.*

At qui honestate est praeditus, certe idem, postquam semel ad eam animum induxerit, et voluptates et divitias et honores et imperia respuet, quippe quae omnia prae illo bono contemnenda ei videantur necesse sit nec digna, quae consecratur. Illa ipsa exornatus nec

<sup>1)</sup> de divinat. II, 1.

<sup>2)</sup> Aristot. Polit, II, 4. ait: *ἄπειρος γὰρ ἡ ἐπιθυμία φύσις.*

vitia porro noverit. Cui autem nihil est cum vitiis commune, nihil ei esse debet cum ceteris quoque malis animi. Unde sequebatur, ut eum, qui illo vere bono, id est virtute esset praeditus, solum pronuntiaret felicem. Demonstrat igitur Cicero secundo Paradoxo exponendo: in quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum, *ὅτι ἀδιαρκῆς ἢ ἀρετῇ πρόσ εὐδαιμονίαν*.

Namque virtutis vires tantas esse, ut ad summam felicitatem evehat illum, qui eam adeptus sit. Etenim quaecumque hominem beatum reddere possunt, haec ille iam possidet: quae cum sint eius modi, ut nulla vi eripi aut auferri queant, nunquam is, qui virtutem possedit, beatus esse desinit. Imo ne tum quidem, cum rebus adversis undique ferietur aut coporis cruciatibus vexabitur, infelicem se profitebitur aut pro infelice haberi poterit. Quam ab rem, ut vita improbi et stulti et inertis bona nuncupari nequit, cum misera sit, licet quibusvis abundet bonis fortunae, sic vita viri boni et fortis et sapientis, qui totus ex sese aptus est quique in se uno sua ponit omnia, misera esse non potest, verum bona et expetenda vel maxime sit oportet. »Quoius enim virtus moresque laudandi sunt«, eius vita quoque laudanda est: si autem laudanda, etiam exoptanda et appetenda. Quam qui assecutus est, is laudabilis et florens et beatus haberi debet. Itaque qui virtute praeditus est, ei ad beate vivendum nihil deesse manifestum est.

Hoc bonum, quod tantum taleque est, ut homo eodem exornatus, in quacumque vitae condicione positus felix evadat, ne amittatur atque perpetuo servetur, anxie est cavendum. Cum autem solis peccatis felicitas haec, quae in virtute nisa est, amitti possit, conatur Cicero, ut ab iis abstraheret atque prorsus abstereretur, demonstrare: omnia peccata aequae ac recte facta esse aequalia, *ὅτι ἴσα τὰ ἀμαρτήματα καὶ τὰ καθορθώματα*.

Etenim, si peccare est tamquam transire lineas, certe culpa commissa est, simul atque quis id fecit, hoc est simul atque elineam illam transgressus est: quam longe progrediare, cum semel transieris, ad augendam culpam nihil valet. Namque ut illud: »non licet«, quo peccatum quodvis prohibetur, unum est semper neque mutatur aut minuitur augeturve, sic quae inde nascuntur peccata, aequalia ea esse oportet. Hac sententia, dicit Cicero, non solum nulla verior, sed ne utilior quidem hominum vitae reperiri potest. Nulla est enim vis, quae magis arceat homines ab omni improbitate, quam si persuasum haberint, nullum in delictis esse discrimen. Quidquid ergo non oporteat, scelus esse, quidquid non liceat, nefas esse persuasum nobis esto.

Committitur porro peccatum perturbatione rationis atque ordinis. Cum autem quaelibet animi commotio sollicitudoque insaniam sit, recitum rationis usum prohibens, demonstrandum erat Ciceroni Paradoxo quarto: eum qui peccaret, esse stultum, stultum autem quemque insanire, *ὅτι πᾶς ἀφρων μαινεται*. Paradoxo hoc, ut recte iam Sciopius monuit<sup>1)</sup>, probaverat Cicero, solum sapientem sanum esse, quippe rationis compotem, omnes autem stultos insanire. Cuius paradoxo tamen

<sup>1)</sup> Elementis philos. Stoicae moral. cap. 129, p. 77.

explicatio deperdita est: nam haec, quae sub eiusdem exstat inscriptione, nihil ad illud attinet, imo aliud quid proponit, videlicet: solum sapientem esse civem, omnes autem stultos exules. Qui enim virtute est praeditus, is omnia habet, omnia possidet eaque semper secum portat. Itaque ubicunque fuerit, nunquam amittet ea, quae civem faciunt, siquidem non natura locusve civem faciunt, sed animus factaque. Cum autem civem se ubique locorum profiteri sentireque poterit, sequitur Paradoxon quintum, quo fit manifestum: solum sapientem esse liberum et omnem stultum servum, *ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος*.

Etenim si libertas nihil est aliud, nisi potestas vivendi, uti velis, voluntas autem soli sapienti contingit, quippe qui cum ratione desideret, quidquid desiderat, profecto solus sapiens ea aget, quae sunt rationi convenientia, refrenabit autem atque supprimet ea omnia, quae excussa tantum ratione menteque perturbata conficiuntur, id est, omnibus imperabit cupiditatibus libidinibusque. Imo vero, quae vim maximam exercere dicitur fortuna, illi cedere eumque sequi debet. Dicit enim sapiens poeta: »Suis ea cuique fingitur moribus«. Quod si soli hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus, confitendum est breviterque statuendum: nisi qui ita sit affectus, esse liberum neminem. Sapiens igitur solus liber est, stultus vero, qui nec libidinem refrenat nec voluptatem respuit, nec iracundiae temperat, sed ab iis tamquam improbis mancipiis coercetur et regitur, in servili condicione positus est. Ergo servus nequissimus, quoniam liberaliter vivere nequit<sup>1)</sup>.

Nam quomodo quave ratione talis homo liberaliter vivere potest, qui tantum non possidet, ut satietas expleri queat dominorum? Quaecunque enim desudat, illis desudat, neque tamen haec sufficiunt unquam, quoniam cupiditates, qui sunt domini eius severissimi, nunquam sedari possunt nec satiari, unde ille suis rebus nunquam contentus esse potest. Quodsi non contentus est, semper quaerat, semper adpetat optetque ampliora necesse est; semper igitur pauper existimandus est habendusque. Sapienti vero, qui cupiditates refrenet atque coerceat, nullos earum causa sumptus fecere opus est, quoniam parvis contentus rebus facile semper, quantum sibi opus sit, possidebit. Hoc autem ipsum est, ex quo metimur statuimusque divitiarum modum atque copiam. Nam non esse cupidum pecunia est, non esse emacem vectigal est: contentum vero suis rebus esse maxime sunt certissimaeque divitiae. Qui satis habet, is dives est: quae satietas cum protrita in dies plura habendi cupiditate sola virtute comparari possit, virtute autem, qua nulla possessio, nulla vis auri et argenti pluris aestimanda est, solus sapiens praeditus sit, apparet, solum sapientem verè divitem existimandum, stultum vero perpetuae paupertati addictum esse. Verum est igitur, *ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος*.

Ex quibus ita comparatis iam elucet, quae Paradoxa Stoicorum tractanda et ad vitam communem accomodanda sibi sumpserit Cicero

<sup>1)</sup> s. August, d. Civit. dei IV, 3: Bonus, etiamsi serviat, liber est, malus autem, etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed, quod est gravius, tot dominorum, quot vitiorum.

exhibueritque, ea non esse ita iuxta se posita, ut tractatio eorum atque explicatio omni interna careat connexione atque iunctura. Quin imo, ut modo sub obtutu posuimus, aliud paradoxon ex alio deducitur, aliud ab alio excipitur, sublevatur, partesque praecedentis ab eo, quod subsequitur, occupantur adeo, ut alia sententia cum alia nexa sit, omnia autem sint inter se apta et apprime convenientia.

Quibus brevi in conspectu positis iam quaestio oritur, utrum libellus hic in numero scriptorum philosophicorum, ut vulgo putant, an vero rhetoricorum sit referendus. Quae res ut rite diiudicetur, nobis, missis ceteris omnibus, quae contra dicuntur vel dici possunt, quaerendum esse videtur imprimis, quid sibi pertractandum sumpserit Cicero quidve consilii ceperit, quum libellum hunc scripturus esset. »Ego tibi (Brute)«, dicit ille, »illa ipsa, quae vix in gymnasiis et in otio Stoici probant, ludens conieci in communes locos. Quae quia sunt admirabilia contraque opinionem omnium — ab ipsis etiam *παράδοξα* appellantur — temptare volui, possentne proferri in lucem et ita dici, ut probarentur, an alia quaedam esset erudita, alia popularis oratio, eoque hos locos scripsi libentius, quod mihi ista *παράδοξα* quae appellant maxime videntur esse Socratica longeque verissima»<sup>1)</sup>.

Jam ex his certe evenit, materiam, quam sibi pertractandam sumpserit Cicero, esse sine dubio philosophicae indolis eamque ex intima Stoicorum cellula protractam, cuius radices in Socratica doctrina reperiantur et obvia fiant. Quali vero forma haec Stoicorum austera communemque intellectum fugientia praecepta proposuerit, haec est alia quaestio cohaerens cum consilio ipso, quo ductus ad opusculum hoc auctor se contulit. Erat autem Ciceroni propositum, haec philosophiae moralis dogmata sublimia et a communi sensu hominum abhorrentia e Stoicorum penu protrahere, ut adhibita orationis facilitate ea commendaret atque ostenderet, posse illa ad vitam communem accommodari atque eorum saltem propria fieri, qui animis ingeniisque aliquanto poliores altiora peterent et arreptis salutaribus praeceptis felices evadere student. Quae Stoicorum dogmata igitur non videantur primo obtutu adeunda aut imitanda, ea nihil ultra hominum naturam eorumque captum continere demonstrat. Veritates enim his praeceptis et institutis stoicae philosophiae comprehensa a natura humana non modo non esse aliena, sed esse eidem, nisi corrupta sit et vitiis libidinibusque obfuscata, proprias vel maxime ita, ut cuique intellegentia mentis sensuque veritatis praedito facile sint agnoscenda atque probanda. Etenim quod bonum est et excellens et admiratione dignum, quodque hominem liberum et bonum et perfectum et sui iuris efficit adeo, ut neque cuiquam subditus neque libidinibus obnoxius neque cupiditatibus addictus sit, hoc certe ad hominem pertinet. Namque id est humanae naturae proprium, ut in dies perfectior evadat et excultis omnibus animi mentisque viribus sublimis feratur atque cetera naturae animalia longe plurimum superet.

Quod consilium si nobis ante oculos proposuerimus, fieri non

<sup>1)</sup> Parad. prooem. §. 3 sq.

poterit, quin intellegamus atque ingenue fateamur, persuasum habuisse Ciceronem, se illud nunquam fuisse assecuturum nisi adhibitis iis dictionis sermonisque ornamentis, quibus res etiam graves atque austerae captu redderentur faciliores et ad popularem sensum fidemque conformatae evaderent. Itaque si declamatoris ritu singula haec dogmata tractat et omni orationis habilitate stilique facilitate usus eadem proponit, facit ille hoc non ea mente, ut exemplum proponat artis declamatoriae, sed ut arte dicendi adhibita ea philosophiae praecepta suscipienda et imitanda commendaret atque inculcaret, quibus instructi homines exornatique vitam beatam et adversus omnes procellas turbinesque miserarum rerum tutataui agere possent. Cui asseverationi ut fidem impetret, multa affert exempla ex historia gentis romanae vitaque singulorum virorum petita. Quin etiam, quod imprimis est observandum, ex se ipso exemplum sumit atque evincere studet, sese, quamvis variis rerum procellis agigaretur, adversariorum acerbitatibus cederet, vim cuiusque generis pateretur, tamen mediis in periculis ipsis neque animum demisisse neque ullam iniuriam accepisse aut quidquam suorum amisisse. Ipsam quoque fortunam, me hercule, nihil sibi, ait, nocere potuisse, cum illis ipsis sapientiae Stoicae praeceptis munitus corroboratusque subici ei aequirit.

Itaque ut ad eum, quem sibi proposuit finem perveniret, non potuit, quin uteretur forma oratoria et dicendi genere facili atque copioso.

Perpensa igitur rei materia formaque, neminem infitias iturum putamus, agi hic de philosophiae Stoicae dogmatibus, et quidem reconditis illis et primo obtutu parum comprehendendis, quae tamen a natura humana non esse aliena a Cicerone evincitur. Hinc quod ad formam attinet dictionisque speciem, libellus hic rhetoricae est indolis, quum vero nativus finis eiusdem componendi materiesque ipsa ad philosophiae partem eamque moralem revocari debeat, eum procul omni dubio philosophicis Ciceronis scriptis adnumerabimus.

Qua de causa non assentiemur Wytttenbachio asseveranti: »Igitur Cicero hunc libellum maiori rhetorico libro, de Claris oratoribus, ad eundem Brutum scripto, brevi temporis intervallo subiecit, ut iterum rhetoricum et ad eloquentiae institutionem referendum«. Pugnatur praeterea haec sententia viri eruditissimi cum alia in Scholis obvia ubi legimus: »E Ciceronianis libris hic unus omnium brevissimus idemque quasi sapientiae eloquentiaeque delibatus flos est: quippe illud in eo agitur, ut philosophiae moralis decreta maxime sublimia et supra vulgarem hominum sensum captumque posita orationis commendatione probabilia reddantur«<sup>1)</sup>. Rectius itaque sine dubio Drummann: der Inhalt erinnert so sehr an das Werk Über das höchste Gut, dass sich die Vermuthung aufdringt, die Paradoxen seien als eine Nebenarbeit entstanden, während der Verfasser für das grössere zu sammeln anfang, und dies geschah im Jahre 46<sup>2)</sup>. Suo igitur iure

<sup>1)</sup> Dan. Wytttenbachii Opuscula selecta. voll. II, Brunswigae 1825.

<sup>2)</sup> Gesch. Roms, VI, S. 289.

R. Kühner in versione sua<sup>1)</sup>: Ciceros Abhandlung, welche Paradoxe der Stoiker überschrieben ist, bildet eine Ergänzung zu der Schrift von dem höchsten Gute und Übel, wo er im III. Buche §. 15. in der Erörterung der Stoischen Lehre die Paradoxe erwähnt. Was dort kurz berührt ist, wird hier ausführlich entwickelt<sup>2)</sup>.

Semotis aliis compluribus iuvat etiam sententiam Handii promississe, qui existimat, rhetoricam hanc locorum ad philosophiam pertinentium exornationem scriptam esse a Cicerone, non quod eos probaret, sed ut reprehenderet vitia aliorum, sui temporis mores castigaret, Clodii nequitiam avaritiam Crassi, ut improbitatis exempla, describeret, ita tamen, ut non tam philosophi partes ageret, quam rhetoris argumenta afferret, quibus non de ratione veritateque decretorum illorum lectores convinceret, quippe quorum infirmitatem aliis locis demonstravisset, sed Stoicis nimirum exemplum exhiberet probandi ea, quae ipse ex animi sententia reprobar<sup>3)</sup>.

Qua opinione haud scio an nulla sit perversior. Etenim ita nobis eadem sonare videtur: Fuisse Ciceroni propositum et vitia aliorum reprehendere et sui temporis mores castigare et Clodii nequitiam avaritiam Crassi, ut improbitatis exempla describere niso illis dogmatibus ex intimo Stoicorum penu depromptis, quae dogmata universis illis vitiis maxime quidem essent contraria, Ciceroni ipsi tamen minime probanda.

Quod per se iam absurdum ipsa re prorsus redarguitur. Etenim latere in hac Paradoxorum Stoicorum exornatione lusum aliquem aut irrisionem, aut aliud Ciceronem sensit in paradoxis haece tractandis explicandisque, aliud scripsisse, ac non potius sincere atque ex animi sui sententia haec nobis accuratius perpendenda percipiendaque commendasse atque tradidisse, non est cogitandum. Manifestum hoc fit satis superque ex anxietate quadam ipsius, qua sollicitatus veretur, ne cui non ex suomet ipsius sensu deprompta haec videatur oratio: dicturum se tamen, ait, quod sentiat et dicturum brevius, quam tanta res posceret<sup>4)</sup>.

Denique etiam illud est respiciendum, decreta haec, quod iam supra observavimus<sup>5)</sup>, Ciceroni videri Socratica longeque verissima. Cuique autem paulo diligentius Ciceronis scripta pervolventi philosophica neque ad sensum illorum hebeti manifestum sit oportet, eum in ceteris quidem disciplinis philosophicis sequi doctrinam Academicorum, at in morali philosophiae parte artius ad Stoicos se applicare. »Insolitum igitur verborum usum«, dicit Morgensternius prorsus assentiēte Mosero<sup>6)</sup>, »in hoc libello a Stoicis mutuatus est: sententiam,

<sup>1)</sup> Paradoxe d. Stoiker. Stuttgart 1864. S. 3.

<sup>2)</sup> Non recte tamen hoc dictum, quasi tantum §. 15. Paradoxa commemorentur, quum eadem identidem et III. et IV. libro exhibeantur et appugnentur. Quod tamen mox uberius exponetur.

<sup>3)</sup> Ersch. u. Grubers Encyclop. XVII, S. 237.

<sup>4)</sup> Parad. I, 6.

<sup>5)</sup> Cfr. pag. 12.

<sup>6)</sup> Henr. Moser, M. T. Cicer. Paradoxa. Gottingae 1846. p. XXXIII.

si quis recte intelligeret, demonstrabat, a Socratis praeceptis nihil admodum differre. Videbat rei publicae proceres pessimo exemplo praeire civibus, pro veris bonis et laudabilibus ea sectantes, quae ut sunt splendida aspectu, ita a merito expetendis animum avocant. Eam ob causam in eos suaque tempora invehitur.

Ex hisce cuique praeopostera opinatione non ducto apparere putamus, Ciceronem Paradoxa Stoicorum libello, de quo disserimus, serio bonaque fide tractasse atque omni cura et cogitatione in id incubuisse, ut aliis quoque persuaderet, haec eadem communia esse posse omnibus, quod et longe essent verissima et a natura humana non aliena.

Quae cum ita sint, iam nobis perscrutandum est, num constans sibi Cicero semper fuerit eademque omni tempore de Stoicorum placitis, praecipue iis, quorum veritatem iustamque rationem in libello Paradoxorum tam fortiter et luculenter vindicare studet, senserit, an inveniatur in scriptis eius complura, unde probatum esse videatur, eum non semper tam strenuum fuisse Stoicorum decretorum propugnatores obstinatamque vindicem, imo plerumque iis etiam procaeciter adversatum esse. Atque rem ita se habere ut demonstremus, conferamus liceat, ne nimis longa evadat disquisitio, imprimis omnium ea, quae de Finib. lib. III. et IV. proponuntur, itemque ea, quae in oratione pro Murena habita reperimus.

Ad singula igitur *παράδοξα* respicientes exhibebimus conferemusque ea, quae Cicero contra Stoicorum doctrinam atque haec ipsa eorum decreta protulit, quae singulari libello, eodem, de quo sermonem instituimus, tanta cum eloquentia et dicendi copia exornaverat et commendaverat. Ac primum quidem, quod ad illud attinet Paradoxon: *δτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν*<sup>1)</sup> Cicero Catonem, perfectum illum Stoicum, quem sibi ait videri latine docere philosophiam loqui eique quasi civitatem dare, ita dicentem facit<sup>2)</sup>: Cum enim hoc sit extremum — congruenter naturae convenienterque vivere, necessario sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere, nulla re impediri, nulla prohiberi, nulla egere. Quod autem continet non magis eam disciplinam, de qua loquor, quam vitam fortunasque nostras, id est ut, quod honestum sit, id solum bonum iudicemus. Confirmatur hoc idem a Catone libri eiusdem capite subsequenti<sup>3)</sup> argumentis brevibus quidem illis, sed acutis itaque gravibus, ut nullo negotio ei adstipulemur.

Contra hanc sententiam Stoicorum pugnat Cicero vehementer obiciens<sup>4)</sup>, Stoicos summum bonum in honestate sola ponentes rem non ex omnibus partibus ponderare atque unam naturae humanae partem neglegentes deserentesque leviter nec convenienter naturae agere. Etenim, si in natura nihil esset praeter rationem, finis bonorum in una virtute ponendus esset, sin est etiam corpus, non sunt

1) Cfr. pag. 9.

2) de Finib. III, 7, 26.

3) l. l. cap. 8 27—29.

4) l. l. IV. 15, 40 sqq.

omnia praeter virtutem abicienda: quin imo neglectis reiectisque omnibus non honestis ipsa rerum illarum pulchrarum atque admirabilium fundamenta subducuntur. Itaque sibi, inquit, et illos omnes, qui finem bonorum esse dixissent honeste vivere, erasse videri, et Stoicos, quod finem bonorum in una virtute ponerent, illorum esse similes. Sic aggreditur Cicero idem dogma etiam aliis compluribus locis<sup>1)</sup> atque illam Stoicorum propriam conclusionem: Quod est bonum, omne laudabile est, quod autem laudabile est, omne est honestum, bonum igitur quod est, honestum est, qua Cato delectabatur quamque omnibus probatam esse putat<sup>2)</sup>, plumbeum pugionem nuncupat eamque evertit<sup>3)</sup>.

Sententia Stoicorum, quae continetur Paradoxo: *δι ἀδιαρκῆς ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν*<sup>4)</sup>, explicatur a Catone ea ratione modoque ut dicat, multo maiorem inter Stoicos et Peripateticos rerum esse discrepantiam quam verborum. Quippe cum Peripatetici omnia, quae bona appellent, pertinere dicant ad beate vivendum, Stoicos non ex omni, quod aestimatione aliqua dignum sit, compleri vitam beatam putare. Quare statuere eosdem: cum nulla esset tanta aestimatio, quae virtuti anteponeretur, inque ea sola vita beata constaret ita, ut neque praeferranda illa esset, si ad eam commoda quaedam corporis accederent, neque etiam propter dolorem, si qui ei forte admisce-retur, detrectanda, cum dolor in malis non sit habendus, certe rationem ipsam cogere, ut in omnibus quoque tormentis conservaretur vita beata sapienti, cui nihil mali posset incidere. Itaque si recta affectio *κατόρθωσις*, item ipsum bonum, quod positum sit in eo, ut naturae consentiat, crescendi accessionem nullam habeat, hinc Stoicis non videri optabiliorem nec magis expetendam vitam, si sit longa, quam si brevis. Sapiens non expectabit igitur ullum tempus aetatis, ut tum denique iudicari possit, beatusne fuerit, cum bonum virum, id est virtute praeditum semper beatum esse necesse sit<sup>5)</sup>.

Haec effata Stoicorum improbat Cicero ita, ut opponat<sup>6)</sup>: dari hoc Stoicis a Polemone, Xenocrate, magistro eius atque omnibus reliquis, qui virtutem omnibus rebus multo antepontes adiungant ei tamen aliquid summo in bono finiendo, dignam esse virtutem gloriatione tantumque praestare reliquis rebus, ut dici vix possit, et beatum esse posse virtute una praeditum, carentem ceteris: non tamen illud eos Catoni concessuros putat, praeter virtutem nihil in bonis esse ducendum. Neque facile, inquit, quisquam sibi persuaderi patietur, dolorem non esse malum, cum tamen Stoici ipsi affirmant, asperum esse dolere, molestum, odiosum, contra naturam, difficile toleratu. Quin imo Zenonem ipsum, obicit Cicero ulterius, repugnante natura verba

1) de Fin IV, 16, 45. 17, 46 sqq.

2) de Fin. III, 8, 27.

3) ibid. IV, 18, 48.

4) Cfr. pag. 10.

5) de Fin. IV 22. 76.

6) de Finib. III, 12, 41. 13, 42 sq. 14, 45 sqq.

7) de Finib. IV, 18. 51. 18, 54. 20, 56 sq. 24. 65 sqq.



versari coepisse et primum in rebus iis, quae dicerentur bonae, concessisse. ut haberentur aestimabiles et ad naturam accommodatae, faterique coepisse sapienti, hoc est summe beato, commodius esse, si ea quoque haberet. Quae cum ita sint, linem bonorum, ostendit denique Cicero, Stoicis ita mutandum esse, ut concedant, posse quandam fieri accessionem seu incrementum. Inde apparet, placitum illud Stoicorum: in quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum, a Cicerone ita oppugnari, ut Stoici fateri cogantur, si beate vivendum sit, statum eum, ubi ad virtutem alia, quae dicuntur bona, vel, ut illis placet, *προηγμένα* accesserint, esse praefendum illi, ubi sola virtus obtineat.

Iam quod ad tertium illud placitum attinet: *δύ ἴσα τῆ ἀμαρτήματα καὶ τὰ κατορθώματα*.\*) Cicero Catonem mirabile hoc ita sustentantem ac tuentem exhibet<sup>1)</sup>, ut dicat, non licere Stoicis dicere, alium alio esse sapienterem, itemque alium magis alio vel peccare vel recte facere, qui crescere linem bonorum non putent. Negare enim illos nec virtutes nec vitia crescere posse, etsi utrumque eorum fundi quodammodo et quasi dilatari arbitrentur. Hoc idem apertissime contenditur alio loco, ubi legimus: illa quae prosunt aut quae nocent, aut bona sunt aut mala, quae sint paria necesse est<sup>2)</sup>. Neque alienum ab hoc asserto illud: ipsum bonum non accessione neque crescendo aut cum ceteris comparando, sed propria vi sua et sentimus et appellamus bonum<sup>3)</sup>.

Hisce Ciceronem strenue adversantem reperimus cum demonstret: nullam fuisse causam neque Zenoni neque Stoicis omnino, cur discederent a veteribus philosophis; etenim quae asserant, omnium insipientiam, iniustitiam, alia vitia similia esse, omniaque peccata paria, eosque, qui natura doctrinaque longe ad virtutem processissent, nisi eam plane consecuti essent, summe esse miseros, neque inter eorum vitam et improbissimos quicquam omnino interesse, hanc videlicet non esse correctionem ullam philosophiae veteris aut emendationem, quippe quae ne aditum quidem ullum habere possit in urbem, in forum, in curiam<sup>4)</sup>. Planis verbis reicit haec eadem Cicero alio quoque loco, ubi profitetur, minus probari illa Stoicorum: omnes, qui non sint sapientes, aequae miseros esse, sapientes omnes summe beatos, recte facta omnia aequalia, omnia peccata paria. Quae quidem, ait, magnifice primo dici videri verum tamen sensum cuiusque et naturam rerum atque ipsam veritatem clamare quodammodo, non posse adduci, ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset<sup>5)</sup>.

Quibus omnibus locis Cicero docere atque evincere studet, alienum hoc esse a natura humana sensuque communi, ut concedatur Stoicis, aut recte facta omnia aut peccata paria esse posse.<sup>6)</sup>

\*) cfr. pag. 10.

1) de Finib. III, 14, 48.

2) de Finib. III, 21, 69.

3) ibid. 10, 33 sq. cfr. ibid. 14, 45 sq.

4) de Finib. IV, 6, 21.

5) ibid. 19, 55. cfr. ibid. 20, 56, 24, 67, 27, 74.

6) de Finib. IV, 27, 74. cfr. Tuscul. III, 4, 9.

Eliam Paradoxon quartum: *ὅτι πᾶς ἄφρων μαινεται*, omnes stultos insanire,\*) improbatur Cicero cum asseveret, ex verborum praestigiis cum multa alia tum hoc quoque Stoicorum ortum esse: stultos insanos esse. Pari modo etiam alterum assertum Stoicorum, quod in libello Paradoxorum sub eadem inscriptione atque illud superius a Cicerone explicatum probatumque vidimus, videlicet: solum sapientem esse civem, omnes stultos autem esse exules<sup>1)</sup>, retunditur atque reprobat, quippe quod eodem argumentorum defectu laboret<sup>2)</sup>.

Neque aliter versatur in sententia Paradoxo comprehensa quinto: *ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλευθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος*. Etenim cum sapientis personam magnifice efferens Cato, recte sapientem, ait, solum liberum esse, nec dominationi cuiusquam parentem nec oboedientem cupiditati<sup>3)</sup>, Cicero hoc aeque atque illa supra commemorata respuit<sup>4)</sup>, quamvis rem longius nec persequatur nec explicet. «Longum est enim», inquit, »ad omnia respondere, quae a te (Catone) dicta sunt«<sup>5)</sup>. Placitum Stoicorum: *ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλοῦσιος*, proficitur Cato asseverans<sup>6)</sup>, rectius sapientem appellari divitem, quam Crassum, qui nisi eguisset, nunquam Euphraten nulla belli causa transire voluisset. Recte enim eius omnia dici, qui sciat uti solus omnibus.

Quod Cicero se consentire posse negat atque toti huic loco ita occurrit, ut primo M. Pisonem, familiarem suum, et multa alia Stoicorum et imprimis opinionem eorum, quam de divitiis prae se ferebant, eludentem faciat<sup>7)</sup>, deinde ipse dicat: »Nam ex eisdem verborum praestigiis et regna nata vobis sunt et imperia et divitiae et tantae quidem, ut omnia, quae ubique sint, sapientis esse dicatis«<sup>8)</sup>.

His aliisque multis longiore sermone collatis disceptatisque finem facit Cicero colloqui cum Catone de finibus honorum et malorum instituti, quocum ita sermocinans contendebat, ut universam ab illo explicatam Stoicorum doctrinam refellere studeret eique adversaretur.

Nunc in orationem pro Murena accuratius inquirentes depromemus ea, quae cum ad doctrinam Stoicam omnino, tum praecipue ad haec ipsa, de quibus agimus paradoxis, referri possunt. Huc pertinent imprimis omnium capita eius orationis tria, quae sunt: undetricesimum, tricesimum et tricesimum primum.

Ac primum quidem omnibus virtutibus, quibus Catonem exornatum esse praedicat Cicero, accessisse, ait, doctrinam non moderatam nec mitem, sed, ut sibi videatur, paulo asperiores et duriores, quam veritatem et naturam pati<sup>9)</sup>. Deinde, quod praecipue observaveris, exhibet idem, quae bona essent in M. Catone divina et egregia, haec

\*) cfr. pag. 10.

1) cfr. pag. 11.

2) de Finib. l. 1.

3) de Finib. III, 22, 75.

4) ibid. IV, 27, 74.

5) l. l. 26, 73, cfr. pag. 11.

6) de Finib. III, 22, 75.

7) de Finib. IV, 26, 73.

8) ibid. 27, 74. cfr. pag. 11.

9) orat. p. Murena, 29, 60.

ipsius esse propria, quae requirerentur, id est, quae essent reprehendenda, ea omnia non esse a natura, verum a magistro quodam, Zenone, qui huius modi sententiarum et praeceptorum auctor evaserit: sapientem gratia nunquam moveri, nunquam cuiusquam delicto ignoscere; neminem misericordem esse nisi stultum et levem; viri non esse neque exorari neque placari: solos sapientis esse, si distortissimi sint, formosos, si mendicissimi, divites, si servitutum serviant, reges: nos autem, qui sapientes non sumus, fugitivos, exules, hostis, insanos denique: omnia peccata esse paria, omne delictum scelus esse nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit: sapientem nihil opinari, nullius rei paenitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam.» Haec arripuisse Catonem, pergit idem, auctoribus eruditissimis inductum, neque disputandi causa, ut alios, sed ita vivendi<sup>1)</sup>.

Quae si diligenter consideraverimus et cum iis, quae ex Catonis sentiendi seseque gerendi ratione paulo post ibidem afferuntur, contulerimus, cuique manifestum erit, Ciceroni cum universam Stoicorum disciplinam tum praecipue paradoxa eorum, quae cum vi commemoret, non probari, quippe quae ipsa per se dura parumque tractabilia a superiore etiam duriore fecerint Catonem. Sed audiamus Cicero-  
nem ipsum, qui ulterius apertis verbis dicit<sup>2)</sup> «Nostri illi, a Platone et Aristotele moderati homines et temperati, aiunt apud sapientem valere aliquando gratiam: viri boni esse misereri, distincta genera esse delictorum et dispare poenas, esse apud hominem constantem ignoscendi locum, ipsum sapientem saepe aliquid opinari quod nesciat, irasci nonnunquam, exorari eundem et placari, quod dixerit interdum, si ita rectius sit, mutare, de sententia decedere aliquando; omnes virtutes mediocritate quadam esse moderatas». Quibus dictis si qua fortuna, adicit noster, ad hos magistros Catonem cum ista natura detulisset, non illum quidem virum meliorem evasurum fuisse nec fortio-  
rem nec temperatorem — sed paulo ad lenitatem propensorem<sup>3)</sup>.

Jan si omnia, quae hactenus de Stoicismo Ciceronis cum in opere eius, quod inscribitur de Finibus, tum in oratione, quam pro Murena habuit, obvia exhibuimus, cum Paradoxis Stoicorum singulari libello ab eodem pertractatis contulerimus et alia cum aliis comparaverimus, statuendum nimirum nobis esse videtur, eundem, quod ad doctrinam Stoicam attinet, neque constanter neque fideliter agere. Namque primum in opere suo de Finibus locis supra laudatis placita Stoicorum et ipsa haec Paradoxa oppugnat atque evertere studet, deinde in oratione pro Murena parem aperiens de Zenonis cuiusdam, ut ait, inventis sententiam, multus est in cavillatione, dum philosophiae Stoicae doctrinam, quam Cato mente animoque amplexus erat cuiusque severissimus accuratissimusque erat sectator, hilariter perstringit et ad delectationem et risum coronae traducit.

<sup>1)</sup> orat. p. Murena, 29, 61, 30, 62.

<sup>2)</sup> l. l. 30, 63.

<sup>3)</sup> pro Murena 31, 64.

Quae quamquam ita se habent, vel potius ita se habere videntur, nihilominus tamen eius modi iudicium perinde iniquum atque perversum ille tantum de Cicerone facere potest, qui rem leviter perlustrans parumque accurate perstringens ad verborum angustias et ad omnes litterarum angulos singula revocat, ad illud autem, quod caput est rerum, non penetrat.

Etenim, quod iam supra observavimus,\*) fuit Cicero, quod ad moralem philosophiae partem attinet, Stoicae disciplinae sectator studiosissimus fautorque eius semper exstitit sollertissimus. Namque ille in morali doctrina nulla firma et coniuncta naturae praecepta tradi posse statuit, nisi aut ab iis, qui solam, aut ab iis, qui maxime honestatem propter se dicant expetendam, id est aut a Stoicis aut Academicis et Peripateticis, quas tres disciplinas in morali doctrina re consentire, nominibus discrepare ex animo iudicavit sincereque professus est<sup>1)</sup>. Itaque eodem hoc iudicio sinceraque professione etiam nunc persistemus ostendereque conabimur, nullam obvenire causam, cur Ciceronem inconstantiae mutataeque adversus Stoicos mentis insimulemus.

Nam quod ad principia ipsa et gravissima doctrinae Stoicae dogmata attinet, haec Cicero tametsi oppugnare videtur, tamen ille non adeo vel potius nullatenus rem ipsam, quam formam, id est argumentandi disserendique rationem, aggreditur. Etenim rem Academicorum agens aut ostendere studet<sup>2)</sup>, nullam fuisse causam neque Zenoni neque Stoicis omnino, cur a doctrina Academiae et Peripateticorum descivissent, aut demonstrat, illos sua argumentandi ratione, videlicet spinosis conclusiunculis et dictis ieiunis omnique oratorio ornatu destitutis nec non eo, quod omnia, quae praeter virtutem vidissent, abiecerint, ita correxisse philosophiam veterem et emendavisse, ut omnino ei aditum in urbem, in forum, in curiam omnem subdlexerint<sup>3)</sup>.

Quare cum planum fecisset atque probasset, et tantam ab Academicis tributam esse animi virtutibus praestantiam, ut ea Stoicis displicere non debuerit, et praeclare dicta esse omnia de prudentia, de cognitione rerum, de coniunctione generis humani, de temperantia porro, de modestia, de magnitudine animi, de omni denique honestate, ironice exclamat: O magnam vim ingenii causamque iustam, cur nova existeret disciplina! Et ad Catonem ipsum se convertens «quid» ait, «si reviviscant Platonis illi et deinceps qui eorum auditores fuerunt et tecum ita loquantur?» «Nos cum te, M. Cato, studiosissimum philosophiae, iustissimum virum, optimum iudicem, religiosissimum testem audiremus, admirati sumus, quid esset cur nobis Stoicos anteferres, qui de rebus bonis et malis sentirent ea, quae ab hoc Polemone Zeno cognoverat, nominibus uterentur iis, quae prima specie

\*) cfr. pag. 7.

<sup>1)</sup> de Finib. II, 12, 38. V. 7. 20. 8. 21.

<sup>2)</sup> de Finib. IV, 16. 44.

<sup>3)</sup> l. l. 9. 21.

admirationem, re explicata risum moverent. Tu autem, si tibi illa probabantur, cur non propriis verbis illa tenebas ?<sup>1)</sup>

Neque etiam ex oratione pro Murena concludendum est, sinistre Ciceronem de Stoicorum placitis iudicare aut eadem vilipendere. Propinat ille quidem, uti iam supra monuimus,\*) Stoicam disciplinam eorumque paradoxa ridenda, at nequaquam ex animi sententia, sed eo tantum consilio, ut causae Murenae, quem accusante M. Catone de ambitu defendebat, suffragaretur eamque sublevaret. Quod se ita facilius consecuturum esse sperabat, si iudicibus demonstrasset, esse Catonem durarum sectae Stoicae sententiarum et praeceptorum, ubi nulla vitae humanae ratio haberetur et omnis delectus discrimenque omne rerum humanarum tolleretur, rigidum sectatorem inflexibilemque custodem atque eundem Murenae adversarium et accusatorem.

Hanc esse veram Ciceronis in oratione illa agendi rationem, ab ipso oratore edocemur, qui condicionis, in qua tunc versabatur et consilii quod persequebatur, recordans libere fatetur, se illo tempore iocatum esse. Dicit enim ad Catonem: «Non ego tecum iam ita iocabor, ut isdem his de rebus, cum L. Murenam te accusante defendere. Apud imperitos tum illa dicta sunt, aliquid etiam coronae datum<sup>2)</sup>».

Iustum ceteroquin atque verum iudicium de Ciceronis auctoritate, qua ad omnes eventus casusve supersedere possemus, ex orationibus eius hauriri nequire, ex oratione pro Cluentio perspicuum est, ubi legimus:» Sed errat vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in iudiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illae orationes causarum et temporum sunt, non hominum ipsorum ac patronorum<sup>3)</sup>».

Cum igitur intellexisset persuasumque habuisset, et Zenoni nullam fuisse causam cur ab antiqua constitutione Academicorum descisceret, quum horum omnia illi probata essent, et Stoicos omnes re ipsa profecto defendere eadem, quae Academicos et Peripateticos, verba tamen tenere mordicus horridioresque evadere, asperiores, duriores et oratione et moribus: in libello, qui Paradoxa Stoicorum inscribitur, exemplum secutus Panaetii Rhodii, qui illorum tristitiam atque asperitatem fugiens neq̄ acerbiter sententiarum nec disserendi spinas probavit,<sup>4)</sup> tentare et ipse voluit, possentne proferri in lucem et ita dici, ut probarentur. Quod eo magis se audere posse arbitrabatur, cum perspexisse sibi videretur, Paradoxa haec prima specie admirationem, re explicata risum movere, id est, adeo a communi sensu non abhorreere, ut cuique facile appareat, eadem et intellegi et ad vitam humanam accommodari posse.

<sup>1)</sup> de Finib. IV, 22, 61.

<sup>2)</sup> cfr. p. 19 fin.

<sup>3)</sup> de Finib. IV, 27, 74.

<sup>4)</sup> orat. pro Cluent 49. cfr. Kühner, Cicer. in philos. merit. p. 76, adnot 3, pag. 222 sq. et p. 255. D. Wytttenbach, opp. select. vol. II. pag. 285. sq. A. G. Gernhard, Proleg. in Paradox. Ciceron. p. XXVII.

<sup>5)</sup> de Finib. IV, 28, 79.

Quibus si adiecerimus, Ciceronem Stoicam philosophiam, non quidem illam severam et tetricam difficilemque, qualis a veteribus Stoicis instituta primitusque orta erat, sed a Panaetio humanitatis et litterarum condimentis temperatam eandemque Platonice et Aristotelice decretis mitigatam et delentam, in omnibus scriptis suis philosophicis plurimi aestimasse nec non prae ceteris disciplinis observasse secutumque esse, denique si apponere non neglexerimus, quod ipse ingenue profiteretur, dum »sequemur igitur«, inquit, »hoc quidem tempore et hac in quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes, sed, ut solemus, e fontibus eorum iudicio arbitrioque nostro quantum quoque modo videbitur hauriemus»<sup>1)</sup>, firmiter in illa sententia persistemus, quam de Ciceronis Paradoxo Stoicorum supra tulimus\*), neque de eo, quod super hac re universa intelleximus, transversum unguem demoveri patiemur. Proinde neque Bruckero assentiemur, qui contendit,<sup>2)</sup> Paradoxa magis exercitii quam ex animi sententia a Cicerone perscripta esse, et iniqua complurium virorum doctorum iudicia, Meinersii, qui vehementer in Ciceronem invehitur, similia explodemus. Hic enim perperam facit cum censet, Ciceronem interdum ab Arcesila et Carneade ad antiquiores philosophos, qui de veritatis inventionem non plane desperavissent, transisse; et severissime notans desultoriam illam levitatem dicit, eum, nunquam sibi similem, eosdem viros, eadem decreta, easdem disciplinas modo omnibus laudum titulis ornare, modo proterva dicacitate traducere<sup>3)</sup>. Denique si Alexis Pierron, ut hoc quoque postremum commemoremus, dicit<sup>4)</sup>: «Je ne dirai rien des Paradoxes. Cicéron semble s'être proposé plutôt un exercice de rhéteur qu'une oeuvre sérieuse de philosophe, en agitant à son tour une foule de questions étranges. C'est à Brutus qu'il dédia son écrit: il est assez douteux que Brutus l'ait lu avec un grand plaisir,» — in dubium herele vocatur, num scriptor Gallicus, quid Ciceroni in hisce Paradoxo conscribendis propositum fuerit, accuratius inquisiverit; quod si secus fuerit, tum iam dubitari nequit, quin, quid illud esset, non perspererit.

Leopoli, Idibus Juliis MDCCCLCI.

1) de Off. I, 2, 6.

\*) cfr. pag. 14. sq.

2) Hist. crit. phil. II, p. 45.

3) Meiners, Verm. Schrif. Bd. I, p. 295 cfr. Kuehn. l. l. p. 73 adnot. 4.

4) Histoire de la Littérature Rom. Paris 1881. p. 269 sq.

### Corrigenda :

pag.	adnot.	4	linea	5	pro	cris.	legendum	crit.
»	6	linea	8	ab	imo	pro	extinctae	extinctae
»	10	»	17	»	»	stqu	alineam	atque lineam
»	11	»	13	»	»	fecere	»	facere
»	16	adnot.	5	pro	de	Fin	IV. legendum	de Fin. III.
»	16	»	sub	6)	cotrahatur	cum	adnot.	5.
»	16	pro	adnot.	7)	legendum	6),		

# SCHULNACHRICHTEN.

## I. Personalstand des Lehrkörpers am Schlusse des Schuljahres 1901.

(In alphabetischer Ordnung).

### A) Für obligate Lehrgegenstände.

#### Director.

1. *Wolff Emanuel*, k. k. Regierungsrath (VI. Rangsl.), Ehrenbürger der Stadt Kolomea.

#### Professoren und Lehrer:

1. *v. Bogusz Michael*, Prof. der VIII. Rangsklasse, Ordin. der VI. Cl., lehrte Lat. in der VI., Griechisch in der III. b. und VI. Cl. wöchentlich 16 Stunden.
2. *Borowiczka Stanislaus*, Lehrsupplent, k. und k. Lieutenant in der Reserve, Ordin. d. II. b. Cl., lehrte Lat., Poln. und Gesch. in II. b. Poln. in IV. wöchentl. 18 Stunden.
3. *Fedorowski Siegmund*, Lehrsup. Ordin. d. I. b., lehrte Lat. in I. b. Poln. in I. a. I. b. Vorb.-Cl. wöchentl. 17 St.
4. *Grabowicz Hilarion*, Lehrsupplent, Ord. d. Vorbereitungs-Cl., lehrte Deutsch in d. Vorb.-Cl. Poln. II. a. Ruthenisch in d. III., IV. u. VIII. Cl., wöchentl. 22 St.
5. *Gruszkiewicz Jaroslaw*, Dr. d. Medic. Lehrsup lehrte Ruth. in d. Vorb. Cl., I, II., V., VI., VII., Cl., wöchentl. 18 St.
6. *Jarema Gregor*, Prof. der VIII. Rangsl., griech.-kath. Weltpriester, lehrte Rel. i Vorb. Cl., I.—VII., wöch. 18 St.
7. *Józefowicz Felix Ritter v.*, röm.-kath. Weltpriester. Prof. der VIII. Rangsl. lehrte röm.-kat. Rel. in allen acht Classen und in der Vorb.-Cl. wöchentl. 18 St.

8. *Kopia Heinrich*, k. k. Professor Custos der Schülerbibliothek lehrte Poln. in d. III. a., V., VI. VII. und VIII. Cl. wöchentl 15. St.
9. *Krček Franz*, Lehrsupplent, Dr. Phil, Ord. der II. a. Cl., lehrte Lal. in d. II. a., Deutsch IV., Griech. V. wöchentl. 16. St.
10. *Kwiatkowski Saturnin*, Prof. d. VII. Rangsel., dem h. k. k. Ministerium für Cult. und Unterr. zur Dienstleistung zugewiesen.
11. *Lettner Gustav*, k. k. Prof., Ord. der VII. Cl. Leiter der Jugendspiele, lehrte Lat. in d. VII., Griech. in d. VIII u III. a., Deutsch in III. a. wöchentl 18 St.
12. *Liebhardt Emerich*, Lehrrs. Ord. d. III. a., lehrte Lat. in III. a., Deutsch I. b., II. a., Poln. III. b. wöchentl. 17 St.
13. *Ludkiewicz Daniel*, Dr. Phil. Prof. der VII. Rangsel., lehrte Gesch. und Geogr. in d. I. b., III. b., IV., V., VII., Logik in der VII. Cl. wöchentl. 18 St.
14. *Ogórek Josef*, Dr. Phil., Prof. der VIII. Rangsel., lehrte Lat. in IV., V., Griech. in VII. wöchentl. 16 St
15. *Pleszkiewicz Nicolaus*, Prof. d. VIII. Rangsel., Ordin. der IV. Cl., lehrte Math. in d. I. a., II. b., IV., VI. VII. und Physik in VII. u. IV. wöchentl. 20 St.
16. *Resl Wladimir*, Prof. der VIII Rangsel., Lehrer d. Stenographie an d. Uniwers., Custos der Lehrerbibliothek und des archaeolog. und Programmencabinet, lehrte Lat. in III. b., VIII., Griech. in IV., Kalligr. in der Vorb.-Cl. wöchentl. 17 St.
17. *Sywułak Nicolaus*, Prof. der VII. Rangsel., Custos des physikalischen Cabinet. Ord. der V. Cl., lehrte Math. in der I. b., III. a. b.; V., VII., Phys. in VIII., wöchentl. 19 St.
18. *Wajjgiel Leopold*, Prof. der VII. Rangsel., Ehrenbürger der Stadt Kolomea. Custos des Naturaliencabinet, lehrte Mathem. in der II. a., Natug. in I. a. b., II. a. b., III. a. b., V. und VI. Cl., wöchentl. 19 St.
19. *Warmiski Miecislaus*, Dr. Phil., Prof. der VIII, Rangsel., Custos des geograph. Cabinet, Ord. der VIII. Cl., lehrte Gesch. und Geogr. in d. I. a., II. a., III. a., VI., VIII., Psychol. in der VIII. Cl., wöchentl. 19 St.
20. *Wilusz Valerian*, Lehrsupplent, Ord. der I. a., lehrte Lat. in der I. a., Deutsch in I. a., II. b., Rechnen i d. Vorb. Cl., wöchentl. 19 St.
21. *Zipper Albert*, Dr. Phil., Prof. der VIII Rangsel., Lector d. deutschen Sprache an der techn. Hochschule, lehrte Deutsch in III. b., V. bis VIII. wöchentl. 15 St
22. *Chajes Hirsch.*, Dr. Phil. Lehrsup. lehrte s. 20 April die mos. Rel. in allen Classen. wöchentl. 18 St.

#### Hilfslehrer.

1. *Labsik Johann*, evangel. Pfarrer i. R. ertheilte den evangelischen Religionsunterricht wöchentl. 4 St




## B). Für nichtobligate Gegenstände.

1. *Dybas Thomas*, Bildhauer, lehrte Freihandzeichnen, wöchentlich 6 Stunden.
2. *Ludkiewicz Daniel*, w. o. lehrte Landesgeschichte in der III. b. und VII. Cl., wöchentl. 3 Stunden.
3. *Resl Wladimir*, w. o., lehrte Stenographie, wöchentl. 2 St.
4. *Signio Marian*, Gesangslehrer und Chormeister, leitete den Gesangsunterricht wöchentl. 4 St.
5. *Grabowicz Hilarion*, w. o., lehrte Kalligr. in der I. und II. Classe, wöchentl. 2 St.
6. *Warmcki Miecislaus*, w. o., lehrte Landesgeschichte in d. III. a. wöchentl. 1 St.
7. *Kropiwnicki Josef*, lehrte französ. Sprache, wöchentl. 2 St.

## Veränderungen im Lehrkörper.

H. Mryc Theophil wurde mit D. v. 14. Juni 1900 zum wirkl. Lehrer in Buczacz ernannt. Die Professoren C. Fischer u. L. Wajgel und der Lehrsup. Dr. Kreck wurden f. d. I. S. beurlaubt, Fischer starb im December 1900. u. die beiden anderen übernahmen ihre Lehrstunden mit Beginn des II. S. wieder. Emil Petzold Lehrsup. wurde mit D. v. 28. August 1900. Z. 17.861 dem hies. u. m. D. v. 21. November 1900 Z. 31.685 dem IV. G in Lemb. zugewiesen. Dr. Schönnet M., mit D. v. 28. August 1900. Z. 17.216 zum Lehrsup. hier ernannt, wurde mit Ende des I. Sem. an das V. G. in Lemb. versetzt. Endlich wurden die H. H. Siegm. Fedorowski mit D. v. 27. August 1900. u. Emerich Liebhardt mit D. v. 21. November 1900 Z. 31.685 zu Lehrsup. hier ernannt.

Die Stelle des mit Beginn des II. S. krankheitshalber beurlaubten Pr. Th. Gruszkiewicz vertrat Dr. J. Gruszkiewicz auf Grund des D. v. 5. Jänner 1902. Z. 3.301. und an die Stelle des im Jänner 1901. verstorbenen Lehrers der mos. Rel. Jacob Sperling, wurde Dr. H. P. Chajes mit D. v. 22. April 1901. Z. 11.223 zum Lehrsup. ernannt.



## II. L e h r p l a n.

### Erste Classe

in zwei Abtheilungen.

- Religion. 2. St. wöch. Katholische Glaubens- und Sittenlehre nach dem kath. Katechismus von Deharbe; für gr. kath. Schüler nach Toronksi.
- Latein. 8 St. Formenlehre der wichtigsten regelmässigen Flexionen mit entsprechenden Uebungen Allwöchentlich eine halbstündige Composition.
- Deutsch. 4 St. wöch., Syntax des einfachen Satzes. Empirische Erklärung der Elemente der zusammengesetzten u. zusammengesetzten Satzes. Formenlehre parallel mit dem Unterricht im Latein. Uebungen in der Orthographie. Lesen, Memorieren u. Vortragen poet. u. pros. Stücke. Uebungen in der Orthographie Monatlich 4 Aufgaben.
- Polnisch, 3 St. wöch. Syntax des einf. Satzes: Congruenz: die wichtigsten Nebensätze; der elementare Theil der Lehre von Nomen u. Verbum. Die wichtigsten Interpunctionen, Lesen, Mem. und Vortragen poet. u. pros. Stücke. Uebungen in der Orthographie. Monatlich 4 Aufgaben.
- Ruthenisch, 3 St. wöch. Grammatik, Lesen u. sonstige Uebungen wie im Polnischen.
- Geographie, 3 St. wöch. Anschauliche Vermittlung der geogr Grundvorstellungen, die Tagesbahnen der Sonne in Bezug auf den Wohnort in verschiedenen Jahreszeiten; Orientierung in der wirk. Umgebung, auf der Karte u. am Globus. Erklärung der Beleuchtungs- u. Erwärmungsverhältnisse innerhalb der Heimat im Verlaufe eines Jahres. so weit sie von der Tageslänge u. der Sonnenhöhe abhängen. Hauptformen des Festen u. Flüssigen in ihrer Vertheilung auf der Erde, so wie die bedeutendsten Staaten und Städte bei steter Uebung im Kartenlesen. Versuche im Zeichnen der einfachsten geograph. Objecte.
- Mathematik, 3 St. wöch. Das dekadische Zahlensystem. Römische Zahlzeichen. Die vier Operationen mit unbenannten u. einfachen. ganzen u. Decimalzahlen. Das Metrische Mass- und Gewichtssystem. Rechnen mit einfach benannten Zahlen. Theilbarkeit der Zahlen. Die einfachsten Vorübungen für das Rechnen mit gemeinen Brüchen einschliesslich des Aufsuchens des gemeinschaftl. Masses u. Vielfachen. Im 2. Sem. Geometr. Anschauungslehre: Die Grundgebilde: Gerade, Kreis, Winkel und Parallelen. Die einfachsten Eigenschaften des Dreieckes.
- Naturgeschichte, 2 St. wöch. Die ersten 6 Monate: Thierreich, Säugethiere u. Insecten in entsprechender Auswahl. Die vier letzten Monate: Pflanzenreich: Die Samenpflanzen verschiedener Ordnungen, Beobachtung und Beschreibung der wichtigeren Merkmale.

## Zweite Classe

### in zwei Abtheilungen.

- Religion, 2 St. wöch. Geschichte der Offenbarung des alten Bundes für röm. kath. Schüler nach Dąbrowski, für die Deutschen nach Dr. Fischer, für griech. kath. Schüler nach Toronński.
- Latein, 8 St. wöch. Formenlehre der selteneren und unregelmässigen Flexionen mit entsprechenden Uebungen. Monatlich 2 Aufgaben und 2 Compos.
- Deutsch, 4 St. wöch. Ergänzung der Formenlehre. Lehre vom zusammengesetzten Satze. Lectüre wie in der I. Cl. Practische Uebungen in d. Interpunction. Monatlich drei Aufgaben.
- Polnisch, 3 St. wöch. Ergänzung der Lehre von den einzelnen Redetheilen u. der elementare Theil der Lehre vom zusammengesetzten Satze. Lesen. Memorieren. Vortragen aus dem Lesebuche. Orthogr. Uebungen. Monatlich 3 Aufgaben.
- Ruthenisch, 3 St. wöch. Grammatik u. sonstige Uebungen wie in der I. Cl. Monatlich 3 Aufgaben.
- Geschichte u. Geographie, 4 St. wöch. A) Geographie 2 St. wöchentl. Asien u. Africa nach Lage u. Umriss, in oro-, hydro-, und topograph. Hinsicht. Die klimat. Zustände erklärt aus den Stellungen der Sonnenbahn zu verschiedenen Horizonten im Zusammenhang mit der Vegetation, den Producten u. der Beschäftigung der Völker an einzelnen Beispielen zu erläutern. Europa nach Umriss, Relief. u. Bewässerung. Süd- und West-Europa. Kartenskizzen. B) Geschichte. 2 St. wöch. Alterthum, Sagen. Die wichtigsten Personen u. Begebenheiten hauptsächlich aus der Gesch. der Griechen und Römer.
- Mathematik. 3 St. wöch. Arithmetik: Erweiterte Uebungen über Masse u. Vielfache. Zusammenhängende Darstellung u. Durchübung der Bruchrechnung. Verwandlung v. Decimalbrüchen in gemeine u. umgekehrt. Die Hauptsätze über Verhältnisse u. Proportionen. Die einf. Regeldetri mit Anwendung der Proportionen und der Schlussrechnung. Die Procent- u. einf. Zinsenrechnung. Geometrie: Strecken- und Winkelsymmetrale, Congruenz des Dreieckes nebst Anwendungen. Die wichtigsten Eigenschaften des Kreises, der Vierecke und Vielecke.
- Naturgeschichte. 2 St. wöch. Die ersten 6 Monate, Zoologie: Vögel, einige Reptilien, Amphibien und Fische, einige Formen aus den übrigen Abtheilungen der wirbellosen Thiere. Dann Botanik: Fortsetzung des Unterr. der I. Classe durch Vorführung anderer Samenpflanzen u. durch Anleitung zu ihrer systemat. Gruppierung. Einige Sporenpflanzen.

### Dritte Classe in zwei Abtheilungen.

- Religion, 2 St. wöch. Geschichte der Offenbarung des neues Bundes, für röm. kath. Schüler nach Dąbrowski, für Deutsche nach Dr. Fischer, für griech. kath. Schüler nach Toroński.
- Latin, 6 St. wöch. Syntax: Die Casuslehre u. Präpositionen mit entspr. Uebungen. Cornelius Nepos. Milt., Themist., Cim, Epam., Pelop., Paus. Monatlich 3 Aufgaben.
- Griechisch, 5 St. wöch. Die regelmässige Formenlehre der Nomina und Verba bis zu den Verbis in  $\mu$  mit entspr. Uebungen. Von November an monatl. 3 Aufgaben.
- Deutsch, 3 St. wöch. Systematischer Unterricht in der Formen- und Casuslehre mit Berücksichtigung der Bedeutungslehre. Lectüre, Memorieren, Vortragen. Erklärung einzelner Lesestücke. Monatl. 2 Aufgaben.
- Polnisch, 3 St. wöch. casuslehre, Declination der Nomina. Partikeln. Lesen Memorieren, Vortragen, sprachl. Erklärungen, monatlich 2 Aufgaben.
- Ruthenisch, 3 St. wöch. Declination der Nomina und die Casuslehre. Lectüre mit sprachlichen und sachlichen Erklärungen, Memorieren und Vortragen. Monatl. 2 Aufgaben.
- Geschichte und Geographie 3 St. wöch. A) Geographie: Mittel-, Nord- und West-Europa, (mit Ausschluss per österr.-ungar. Monarchie), Amerika und Australien, Kartenskizzen. B) Geschichte: Mittelalter, die wichtigsten Personen u. Begebenheiten mit besonderer Rücksicht auf die österr. ungar. Monarchie.
- Mathematik, 3 St. wöch. Arithm.: Die vier Grundoperationen mit ganzen u. gebroch. allgem. Zahlen. Quadrieren u. Ausziehen der Quadratwurzel im Zusammenhange mit den geometr. Rechnungen. Unvollständige Zahlen, abgek. Multipl. u. Division, Geometrie: Einf. Fälle der Vergleichung, Verwandlung u. Theilung der Figuren. Längen u. Flächenmessung. Pythagor. Lehrsatz auf Grund der einfachsten Beweise. Das Wichtigste über die Aehnlichkeit geometr. Gebilde.
- Naturwissenschaften, 2 St. wöch. I. Sem. Physik. Vorbegriffe. Wärmelehre. Chemie. II. Sem. Mineralogie: Beobachtung und Beschreibung einer mässigen Anzahl der wichtigsten und verbreitetsten Mineralarten ohne besondere Rücksicht auf Systematik. Gewöhnlichste Gesteinsformen.

### Vierte Classe.

- Religion, 2 St. wöch. Erklärung der Gebräuche und Ceremonieen der kath. Kirche nach Jachimowski für röm. kath. Schüler, für die Deutschen nach Fischer, für griech. kath. Schüler nach Toroński.

- Latein, 6 St. wöch. Eigenthümlichkeiten im Gebrauche der Nomina und Pronomina, die Tempus und Moduslehre. Lectüre: Caesar de bell. gall. I. cap. 1—30. II. III. VI. (Auswahl.) Ovid eine Auswahl. aus den Metamorphosen. Aufgaben wie in der III. Cl.
- Griechisch, 4 St. wöch. Fortsetzung der Formenlehre. Verba in  $\mu$ . Die wichtigsten Regeln der Syntax. Monatl. 2 Aufgaben.
- Deutsch, 3 St. wöch. Syntax des zusammengesetzten Satzes. Stilistik. Elemente des Versbaues. Lectüre wie in der III. Cl. Memorieren Vortragen. Monatl. 2 Aufgaben.
- Polnisch, 3 St. wöch. Conjugation. Lehre vom zusammengesetzten Satze, von der Periode und die Verslehre. Lectüre wie in der III. Cl. Memorieren, Vortragen. Monatlich 2 Aufgaben.
- Ruthenisch, 3 St. wöch. Grammatik und sonstige Uebungen wie im Polnischen.
- Geschichte und Geographie, 4 St. wöch. Neuzeit, die Geschichte der österr. ungar. Monarchie bildet den Hauptinhalt des Unterrichtes. Phys. u. polit. Geographie der österreichisch-ungarischen Monarchie mit Ausschluss der statist. Theiles mit eingehender Beachtung der Producte, der Beschäftigung, des Verkehrs u. der Culturverhältnisse der Völker. Kartenskizzen.
- Mathematik, 3 St. wöch. Arith.: Die Lehre von den Gleichungen ersten Grades mit einer u. mit mehreren Unbekannten u. von solchen reinen Gleichungen zweiten und dritten Grades, welche bei den geometrischen Rechnungen vorkommen. Im Zusammenhange mit den letzteren Cubieren u. Ausziehen der Cubikwurzel. Die zusammenges. Regeldetri, die Theilregel, die Zinseszinsrechnung. Geometrie: Gegenseitige Lage von Geraden u. Ebenen. Die körperliche Ecke, Hauptarten der Körper. Einfachste Fälle der Oberflächen- und Rauminhaltsberechnung.
- Physik, 3 St. wöch. Mechanik, Akustik, Magnetismus, Elektrizität, Optik. Astronomie.

### **Fünfte Classe.**

- Religion, 2 St. wöch. Dogmatik nach Wappler-Swisterski I. Theil, für gr. kath. Schüler von Wappler-Toroński I. Theil.
- Latein, 6 St. wöch. Wiederholung der Syntax. Lectüre nebst stilistischen Uebungen, Liv. I. I. u. XXI. Auswahl. Aus Ovid eine Auswahl aus den Metamorph. und Fasten. Privatlectüre. Monatlich 1 Aufgabe.
- Griechisch, 5 St. wöch. Aus der Grammatik wurde die Formenlehre wiederholt, daneben die wichtigsten Regeln der griechischen Syntax besonders der Casus- und Moduslehre: Xenoph. Anab. I. I. III. Auswahl und Homers Ilias I. u. IV. Privatlectüre, monatlich 1 Schulaufg.

- Deutsch, 3 St. wöch. Lectüre und Erklärung ausgewählter Musterstücke, Theorie der Poesie und Prosa. Aesthetische und stilistische Erläuterungen, Memorieren, Vortragen. Alle 3 Wochen abwechselnd 1 Schul- und Haus-Aufgabe.
- Polnisch, 3 St. wöch. Lectüre ausgewählter Musterstücke, Erklärung von Tropen u. Figuren nebst der Theorie der Poesie u. Prosa u. biograph. Notizen. Mickiewicz, Pan Tadeusz. Memorieren, Vortragen. Aufg. wie im Deutschen.
- Ruthenisch, 3 St. wöch. Lectüre ausgewählter Musterstücke nach Łuczakowski, Aufgaben wie im Polnischen.
- Geschichte und Geographie, 3 St. wöch. Geschichte des Alterthums bis 264 v. Chr. und einschlägige Geographie.
- Mathematik, 4 St. wöch. Arithm. Begriff der Zahlen. Die vier Grundrechnungen mit absoluten und algebraischen Ausdrücken, Zahlensysteme, Theilbarkeit der Zahlen. Theorie der Brüche. Proportionen. Gleichungen des I. Gr. mit einer und mehreren Unbekannten. Geometrie: Planimetrie.
- Naturgeschichte, 2 St. wöch. I. Sem. Mineralogie: morphologische, physikalische, chemische Kennzeichen und systematische Uebersicht der Mineralien. Kurze Skizze über die Entwicklung der Erde. II. Sem. Botanik: Phytotomie, Phytochemie. Organographie, systematische Uebersicht des Pflanzenreiches.

### Sechste Classe.

- Religion 2 St. wöch. Besondere Glaubenslehre nach Jachimowski II Th. für gr. kath. Schüler Dogmatik nach Wappler-Petesz II. Th
- Latein, 6 St. wöch. Wiederholung der Syntax nebst. stilistischen Übungen wie in der V. Classe. Lectüre: Sall. Jugurth. Verg. eine Auswahl, aus Georg. Aen. I. II. 1—200 Cic. in Catilinam I. u. IV. Caes. bell. civ. Auswahl. Privatlectüre. Monatl. 1 Schul-aufgabe.
- Griechisch, 3 St. wöch. Wiederholende Zusammenfassung der Tempus- u. Moduslehre. Lectüre: Homeri Ilias VI. X. XXII. XXIII. Herodot lib. VII. Privatlectüre. Monatl. 1 Schulaufg.
- Deutsch, 3 St. wöch. Das Wichtigste aus der Literaturgeschichte bis Lessing. Lectüre und Erklärung ausgewählter Musterstücke aus dem Lesebuche. Ausserdem wurde gelesen: Lessings «Minna von Barnhelm» und Emilla «Galotti.» Alle 4 Wochen abwechselnd 1 Schul- und Hausaufgabe.
- Polnisch, 3 St. wöch. Lectüre ausgewählter Musterstücke mit literarhistorischen Erklärungen bis Ende des XVIII Jahr. Hauslectüre: Heidenstein Pamiętn. o wojnie mosk., Pamiętn. Paska. Kraszewski, Powrót do gniazda. Sienkiewicz, Ogniem i mieczem. Memorieren, Vortragen. Aufgaben wie in der V. Classe.

Ruthenisch 3 St. wöch. nach der Chrestomathie von Ogonowski die wichtigsten Schriftdenkmäler des X—XVIII. Jahrhunderts nach Voranschickung entsprechender literarhistorischer Notizen und Erläuterungen. Aufg. wie im Deutschen.

Geschichte und Geographie, 4 St. wöch. Schluss der römischen Geschichte und Gesch. des Mittelalters.

Mathematik, 3 St. wöch. Arithm.: Potenzen, Wurzeln, Logarithmen und Gleichungen des II. Grades mit einer Unbekannten. Geometrie: Stereometrie, Trigonometrie bis zur Auflösung schiefwinkliger Dreiecke.

Naturgeschichte, 2 St. wöch. Zoologie: Allgemeine Einleitung. Die Systeme der Bedekungs-, Bewegungs-, Verdauungs-, Blutumlaufs-, Athmungs-, Nerven-, und Sinnes- Organe. Systematische Uebersicht des gesammten Thierreiches. Eingehendere Betrachtung der Wirbellosen.

### Siebente Classe.

